



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die prima, Meditatio prima. De ultimo fine hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

hæc erit cultura ultima, post quam, si non profuerit, si expectationi non responderitis, sequetur pœna hucusque dilata, omnimoda desertio, vastatio, & desolatio, ut vineæ illi accidit, de qua conquestus est Divinus agricola Isa. 5. *expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

Monitum.

Sequentes meditationes ea de causa sunt nonnihil fusiores, ut faciliè dispelci, & una in plures, & in tot fere meditationes dividi possit, quot puncta unaquæque illarum continet, ab illis Ecclesiasticis, qui singulis diebus plures meditationes peragere, vel exercitiorum tempus ad quindecim, viginti, viginti quatuor, vel omnino triginta dies juxta Divi Ignatii idæam extendere cupiunt.

Dies Prima

Meditatio prima

De ultimo fine hominis.

Hic uti & aliis omnibus subsequenti-
bus meditationibus præmittes orationem præparatoriam; ad hanc requiritur 1.º. actus fidei, quo credas, te stare in conspectu Dei ubique & in omni loco per sua immensitatem præsentis. 2.º. actus sub-
mis.

missionis & profundissimæ humilitatis, Deum adorando, & veniam rogando tuorum peccatorum. 3^o. actus demississimæ petitionis ardentissimè rogando auxilium, ut meditationem, quam præ manibus habes, ritè peragerè, & fructum debitum ex ea haurire possis.

Subjunges huic præambulæ orationi semper duo præludia, primum vocatur compositio; sive imaginatio loci. Secundum consistit in petitione illius gratiæ particularis, quam per tuam meditationem tanquam hujus fructum, & scopum consequi intendis. In præsentimeditatione primum præludium in hoc consistet, ut tibi divinam essentiam imagineris, ceu immensum mare omnium perfectionum, ex quo tanquam ex sua origine profluant omnes creaturæ, & ad quod tanquam ad suum finem ultimum denuo refluant, sicut ex mari omnia flumina exeunt, & omnia ad illud iterum revertuntur. Has inter creaturas numerare debes etiam te ipsum, opus omnipotentis artificis, è cujus manibus prodiisti, primi principii, unde tuum esse hausisti, & ultimi finis, ad quem totum tuum esse ab ipso Deo ordinatum est.

In secundo præludio lumen à Deo efflagita tuo intellectui, ut finem tuum ultimum clarè cognoscas; voluntati consisti,

B 5

um,

um, ut opportuna ad hunc finem consequendum eligas media, robur manibus, ut forti, generosoque animo hæc media amplectaris. In hunc finem adhibere potes verba Psalmi 38. *Notum fac mihi domine finem meum: vel verba illa Ecclesiæ: oro supplex, & acclinis, gere curam mei finis: his ipsis uti poteris interdum pro precibus jaculatoriis.* Præsentem meditationem in tria puncta divides 1. Deus est meum primum principium, & ultimus finis. 2. Ad hunc obtinendum ad manus habeo media abundantia, quibus tamen ego abutor. 3. Oportet ergo respicere media ut media, & finem, ut finem.

Punctum primum.

Considera hanc certissimam & infallibilem veritatem, quam S. Ignatius pro basi ac fundamento suorum exercitiorum spiritualium, & prima regula Christianæ vitæ ritè instituendæ ponit; *Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, ac reveratur; ei que serviens tandem salvus fiat: quod idem est ac dicere, Deus est tuum primum principium, & ultimus tuus finis,*

1. Deus est primum tuum principium. Ante quinquaginta, octoginta, vel saltem centum annos nihil eras, & adhuc in abyssu tui nihili hæreris, nisi te Deus ex hac extra-

tra.

traxisset, & illud esse donasset, quod modo possides, quem in finem adhibenda ipsi fuit infinita potentia, cum nulla potentia inferior, ac limitata ex nihilo quidquam producere queat: itaque ex te ipso tuisque viribus nihil es, & purum nihil. Vide jam, cui fundamento innitatur fastus ille tuus, & turba tua superbia: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* 1. Cor. 4. Igitur Deo demississimas redde grates, à quo quidquid boni in te est, totum accepisse clarè agnoscis, & cave, ne in contemptum & offensam tam munifici datoris veritas tam pretiosa, ab ipso met tibi concessa dona. Opus es omnipotentia divina, quæ uti sola potest omnia pro libitu ex nihilo protrahere, ita jam protracta nutu unico in antiquum chaos iterum præcipitare. Admirare, lauda, exalta, & superexalta Divinam potentiam, quæ ad producendum aliquid de novo in lucem, non indiget aliquâ materia aut subiecto, quali tamen indigent omnes creaturæ, siquid juxta ideas mente conceptas in lucem producere volunt. Velle apud Deum & facere idem est; ad unicum illius fiat terra in montes se erigit, in valles se demittit, in planitiem se extendit: *Ipsè dixit, & facta sunt.* Ps. 148. *Ipsè ex nihilo abysso stellæ vocat, & istæ respondent: En ad nutum promptas: Vocatæ sunt, Et dixerunt: adsumus; & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Baruch c. 3.

Tu

Tu admiraris potentiam regis terreni, eò quod possit excitare urbes, munimenta, palatia; vastare provincias, regna &c. & non consideras, quàm necessaria regibus sit ad hoc efficiendum plurimorum aliorum opera. Horum potentia Divinæ comparata, est ipsa debilitas. Cùm te crearet Deus, quid tecum actum est? anteposuit te tot, & tot, ac tantis, quos tui loco creare potuisset; tot & tantis, qui Deo longò ferventiùs serviissent, quàm tu: Et tamen, quamvis præviderit tuam ingratitude, te præ aliis elegit, ut in te triumphum adornaret suæ beneficentiæ, limites omnes excedentis, tantæ bonitati quomodo, & quas tu vices reddidisti? pudore te suffundet vel sola memoria: *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Deut. c. 32. Artifex humanus opus suum, postquam perfecit, deserit, nec multùm de eo ampliùs cogitat; nam opus illud artificiale ad sui conservationem non ampliùs indiget ope, aut operâ artificis: sed tu instar recens nati infantis, qui nec pedibus insistere, nec gressum sine matris ope moliri potest, omni momento à Deo dependes; sine quo nec pedibus sustinere nec in illo esse, quod tibi dedit, conservari potes; ille, ille, in omni etiam minima tua operatione tecum concurrere, & tibi cooperari debet. Crescit igitur singulis momentis tua obligatio, tuum debitum, quo
Deo

Deo obstringeris. Qui agrum, vel hortum colit, arborem plantat, omni jure exigere potest ex his crescentes fructus. Quos fructus autem tu hucusque protulisti illi, qui te fecit, qui te conservat, qui tecum in omnes & singulas operationes tuas concurrat, & influit? Emori deberes præ rubore & confusione, si tibi ob oculos ponere, & seriò considerare velles turpissimam ingratitude[m] tuam erga creatorem tuum.

2. Deus est ultimus tuus finis. Creatus es propter neminem alium, quàm propter solum Deum: itaque tuus finis non sunt res hujus mundi fluxæ & caducæ, quas tamen cæco amore miserè deperis: tuus finis non sunt voluptates, commoditates, carnis illecebræ, libertas effrænis, divitiæ, honores, pompæ, quæ te ita inescant, & illaqueant, ac si pro his natus esses. Nihil temporale finis esse potest animæ æternæ. *Servi facti Deo, finem habetis vitam æternam* ad Rom. 6. Prima regula, & norma vitæ ritè instituendæ esse debet ultimus tuus finis, ad quem velut ad suum scopum dirigi debent omnes tuæ actiones. Ita vitam suam etiam in sæculo à teneris unguiculis instituebat S. Stanislaus Koska S. J. Paulo fratri suo ad mundi delicias invitanti liberè respondebat: æternitati natus sum,

non

non huic sæculo, illi igitur, non isti vivam. Quàm longè & latè hucusque ab hac regula discessisti, abreptus à tuis passionibus, & indomitis animi affectionibus? à respectibus, & vanis timoribus displicendi hominibus? & vilissimis, ad quas præposterè collimabas, finibus? Erige tandem ad subliorem metam animi oculos & omnia tua dirige, ad altissimum, verum & unicum tuum finem, ad primum, unde prodiisti principium. Nec ullam ex omnibus aliis invenies creaturam, quæ sibi non habeat præfixum hunc ipsum finem ultimum: *universa propter semetipsum operatus est Dominus* Prov. 16. Non ideo tamen cæteræ creaturæ eadem facie, eodem modò Deum respiciunt, ut suum ultimum finem. Creaturæ irrationales hunc suum finem consequuntur, quando ad Dei gloriam consumuntur, prout victima in sacrificio absumitur & thus in thuribulo adoletur. Tuus finis non tam est, ut te in hac vita destruas, quàm ut Deo servias, & in altera æternùm illò fruaris. Maximo sibi honori ducunt homines, si à rege vel potente aliquo principe in aulam adsciti splendido alicui officio, præsertim uni ex illis, quæ ipsos præsentia, & familiaritati principis, ejus alloquio, tractandisque arcanis propinquiùs admovent, præfiantur, quamvis hæc diurna, nocturna que servitia non aliam referant mercedem, quàm honorem levem, brevem, fuga-

fugacem, & fumi pugillum, quòd tanto principi servire licuerit, prætereaque nihil. Tu verò vir Ecclesiastice non solum vocatus, & admissus es ad dignitatem serviendi Deo summo Monarchæ, & Domino totius universi, sed ut sis inter illos charissimos, & fidissimos suos aulicos, quibuscum omnia sua mysteria, & arcanissima quæque communicet: nec vacuus abibit tuus labor, cui pro mercede promittitur, & dabitur vita æterna. O ineffabilis altitudo dignationis divinæ! O admirandam excellentiam finis, ad quem nos Deus creavit! Non ad alium finem omnium creaturarum primitias, & pulcherrimos spiritus angelicos produxit omnipotens artifex Deus, quàm ut Deo æternum fruere-
tur, imò ipsemet Deus alium finem non habet, quàm ut se ipso fruatur, & se ipso beatus sit. Immensas Deo gratias age, quòd te creaverit, & ad tam sublimem finem destinaverit. Sed ipsa hujus finis excellentia nos docet, quanti referat, ut hunc consequamur, utique pluris, quàm ut lis coram iudice evincatur, & aliquot fundi alicujus alieni spithamæ proprio adjiciantur. Agitur de integro regno, de regno puri gaudii, de regno æterno; Hoc si excludaris, & priveris, carceri includeris horrido, carceri æterno, carceri meri doloris & supplicii. Hic non datur medicum; aut paradísus, aut infernus: aut se n-

per gaudere cum beatis in cœlo, aut semper ardere cum damnatis in inferno: & quid tunc proderit, in hoc mundo ad summos honorum apices ascendisse, divitiis Crœsum superâsse, omnis generis voluptatibus, deliciis, morbidis, sordidis, & illecebrosis mundi gaudiis diffluxisse, & Sardanapalum æquâsse, si perdas animam? *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? quid prodest?*

Hæc solidissima veritas serio perpensa, & ponderata suffecit ad expug-
nandum, & mutandum grande cor Xaverii, & etiamnum sat roboris habet ad convertendum mundi & vanitatis mancipium in ferventem Christi Apostolum. *Quid prodest?* perpende quoties periculum proximum à fine tuo ultimo aberrandi, & animam perdendi adiveris, dic: *quid prodest,* quando illam gravi peccato inquinâsti? *Quid tecum jam esset,* si divinus Judex rigori suæ Justitiæ fræna laxâset: Primus non esses, qui hujus rigoris justa victima propter unicum tantum grave peccatum flammis æternis fuisses addictus, & à consecutione tui ultimi finis æternum exclusus. Ob oculos tibi pone periculum, in quo etiamnum hæres: si hos attolles, videbis cœlum tibi iratum, si hos deprimas, videbis infernum apertum; si hos in gyrum circumagas, videbis te undique à fallaci mundo circumdatum, & mille fraudum laqueis

laqueis cinctum: si te ipsum introspicias, deprehendes rebelles, tumultuantésque cupiditates, seu passiones: Igitur convenit semper timere, & tremere: *cum metu*, ob gravitatem periculi, & *tremore*, ob facilitatem æternum pereundi, *salutem vestram operemini*. Negotium tuæ salutis, est totum tuum, es tu ipse, nihil extra te, ad te unum spectat, te, tuum corpus, tuam animam, & utriusque æternitatem concernit. Et tu tam parum curas, tam parum de hoc cogitas? Evigila tandem, & hunc fatalem lethargum excute, firmissimumque concipe propositum omnibus adhibitis viribus eò connitendi, ut ultimum tuum finem certò, & indubitatè consequaris.

Punctum Secundum.

Considera attentè, quæ S. Ignatius in sua meditatione de fundamento ulterius subjungit: *Cætera supra terram sita, sunt creata hominis ipsius causâ, ut eum ad finem creationis suæ consequendum juvent*. Hac in re perpendere poteris multitudinem mediõrum, quæ Deus tibi paravit, & liberaliter offert ad æternam animæ salutem consequendam; & quam fœdè hæctenus his fueris abusus. Id. Quot igitur media tibi Deus paravit, ut finem tuum ultimum assequaris? nullus erit Arithmeticus tam præstans, qui tibi hæc

C

omnia

omnia distinctè & exactè enumeret, & in unam summam contracta proponat. Poterunt tamen in diversas classes dividi. Aliqua sunt naturalia, aliqua supernaturalia; tam ex his, quàm ex illis iterum aliqua sunt intra, aliqua sunt extra hominem. Media naturalia homini interna sunt, tres animæ facultates sive potentiæ, quinque corporis sensus, sanitas, ingenium, iudicium, prudentia, circumspectio, rerum terrenarum scientia & experientia. Quot media naturalia extra te? talia sunt omnes creaturæ innumerabiles, quas Deus creavit etiam propter te, ut tibi servirent, essentque adminiculo, ut per eas tanquam per scalam ad cognitionem Creatoris ascenderes: *cognoscibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* ad Rom. c. I. Si Deus te cumulavit divitiis, eò collimavit, ut elemosynis peccata tua redimeres, & æternos thesauros tibi comparares: si Deus te cum paupertate luctari voluit, id intendit, ut veras & æternas divitias constante patientiâ emereres; si te nobilem nasci voluit, splendidos natales stimulos & calcar tibi esse voluit ad heroica ausa & præclara facinora, ad majorem Dei gloriam fortiter suscipienda & perpetranda: si vili & ignobili ortus es genere, voluit Deus, ut ad sublimem nobilitatem filiationis divinæ aspirares, & in filium DEI adoptari quæreres. Paucis omnia; quidquid in hoc orbe terrarum à
Deo

Deo creatum & tibi datum est, eum in finem tibi datum est, ut tibi adjumento sit ad obtinendam æternam felicitatem.

Nec pauciora media supernaturalia tibi subministrata fuerunt, & hæc ipsa iterum partim extrinseca, partim intrinseca: interna auxilia sunt tot, ac tam clara lumina, & illustrationes intellectus, tot inspirationes, teneri impulsus, stimuli corpulentantes, voluntatem accendentes, tot gratiæ, ut vocant, actuales prævenientes cooperantes, concomitantes, & subsequentes, tot habitus infusi virtutum theologiarum, & moralium, & ipsius gratiæ sanctificantis, quæ te divinæ naturæ participem, filium Dei adoptivum, ac hæredem, cohæredem verò Christi efficit. Externorum verò mediorum supernaturalium nomine & numero censentur tot sancta Sacramenta, tot Sacrificia, tot exempla piorum, & sanctorum hominum, verbum Dei incorruptum, tot libri Ascetici, & spirituales; custodia Angelorum, auxilium & protectio Cœlitum & communio Sanctorum, intercessio B. Virginis, remissio peccatorum, sacræ indulgentiæ, incarnatio Verbi divini, Mediator Dei & hominum JESUS CHRISTUS, homo Deus, Passio & mors hujus incarnati DEI, ut ita ad finem tuum ultimum pervenire possis. Ex his omnibus facile colligere potes, quanti momenti & pretii res sit finis tuus ultimus, cum ipsa infinita sapientia

operæ pretium esse indicet, tot ac tanta media homini subministrare, ut hunc assequi possit, & velit: concludes, si nihilominus salute excidas, te coram tribunali supremi Judicis inexcusabilem fere, cum tanta copia mediorum præstantissimorum tibi ad manus fuerit: si pereas, unice ex culpa propria peribis. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum* Os. c. 13. Lauda bonitatem DEI, & summas repende gratias, quòd tam liberaliter in te effuderit pretiosissimum thesaurum tot gratiarum, & mediorum, quibus adjutus facile tuam salutem operari, ac consequi possis: roga illum impensè, tot gratiis hanc addat, ut his gratiis ad eum utaris finem, in quem tibi eas Deus contulit.

2. Ex tot & tantis mediis, edic quot, & quantis non usus, vel omnino abusus es? fortè his ipsis stravisti tibi viam ad perditionem? Inter naturalia media primo loco censenda venit sanitas, & vires corporis, an has non impendisti ad explendas sordidas cupiditates? usus es ingenio, & hujus acie ad peccandum magis occultè, circumspectè, & astutè, atque ideo etiam magis liberè, omni timoris fræno excusso? abusus es doctrinâ tuâ ad propugnandas sententias in re morali laxiores, suspectas, periculosas, proscriptas; divitiis ad inducendos alios, ut obsecundarent tuis desideriis, sinistris propositis, & designationibus; quo-
vis

vis corporis sentu ad offendendum illum, qui tibi hos integros non mutilos, aut mancos concessit: creaturis omnibus, ut bellum moverent suo Creatori. Mediis supernaturalibus eodem modo usus, imò abusus es. Cognitio infinitæ bonitatis & misericordiæ tibi animos addidit ad audentiùs peccandum spe veniæ haud difficulter obtinendæ: obturâsti aures vocanti Deo ex temeraria præsumptione, abundans tibi superesse tempus, quo ad Deum per pœnitentiam adhuc ante mortem redire possis, deridiculo habuisti probos, subsannâsti eorum innocentem & exemplarem vivendi modum, correctiones paternas excussisti, Sacramenta prophanâsti, preces neglexisti, præsumptuosè ac temerariè præfidens in Sanctorum patrocinio, ipsum Deum coëgisti servire tuis iniquitatibus: audi Deum per os Isaïæ Prophetæ ita contra te lamentantem: *Servire me fecisti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis c. 43.* Ingenti pudore suffundaris oportet, ubi in tuo hæctenus servato vitæ tenore tantam confusionem & rerum perturbationem, tot creaturarum, quin & ipsiusmet Creatoris foedos abusus observaveris? fortassis tibi tot adminicula & media tam liberaliter fuerunt subministrata, ut ea prodigè dissipares & ad pascendas tuas cupiditates abligurires? ut te non adjuvarent, sed essent in mucipulam? te dementarent, & à fine

tuo revocarent? quando finem accipiet hæc contentio, te, & Deum inter? Deus contendit te omni ope adjuvare, ut salveris: tu omnibus nervis contendis abuti suppeditata ope, ut pereas. Pudeat te ingritudinis tuæ, stupeas ipsemet insensibilem stupiditatem tuam: detestare stultam prodigalitatem tuam, quâ hætenus tot ac tam pretiosos thesauros abjecisti, quibus tibi facilè comparare potuisses regnum æternarum deliciarum. Fixum itaque tibi, ratumque esto, hoc animi propositum, imposterum mediis tibi à Datore bonorum omnium Deo concessis non abutendi contra ipsum, ad ipsum offendendum, sed utendi ad serviendum ipsi in vita, & ipso fruendum post vitam æternum in coelis.

Punctum tertium.

Considera conclusiones practicas, quæ ex duobus præcedentibus punctis deduci debent, quas S. Ignatius sat clarè insinuavit sequentibus verbis: *unde sequitur, utendum illis, vel abstinendum carenus esse, quatenus ad consecutionem finis vel conferunt, vel obsunt.* En itaque ternas conclusiones attentè ponderandas: prima est, media tractanda & respicienda ut media, finem ut finem. secunda, cor non affigendum rebus ad consecutionem ultimi finis indifferentibus, & nihil

nihil conferentibus. tertia: omnia illa fortiter amplecti, quæ ad consecutionem finis ultimi profunt, è contrario illa omnia repudiare, quæ consecutionem ultimi finis impediunt.

i. itaque media respicienda & adhibenda ut media, finis considerandus ut finis, neque imitandum exemplum hominum sæcularium, de quibus divus Augustinus, de civit. Dei. l. 11. c. 2. ita loquitur: *utuntur Deo, & fruuntur mundo.* Mundus & omnes res mundi, sunt mera media, nec iis aliter utendum, quam ut per hæc ad Deum pervenias, qui solus & unicus est finis, & quidem ultimus. Si aliã incedas viã nunquam ad veram cordis quietem ac pacem pervenies; hoc enim, ut te propria docuerit experientia, nunquam quiescet, usque dum ad Deum suum pervenerit, & in ipso quieverit: crede Augustino lib. 1. Con. c. 1. dicenti: *Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Res nulla quietem invenit, nisi in suo fine, ad quem creata est. Res graves inquietæ sunt tamdiu, quamdiu non junguntur suo centro; flamma tamdiu tremula sursum anhelat, donec ad suam spheram evolet: flumina tamdiu rapido agitantur cursu, donec stagnis, vel ipsi tandem mari infundantur. *Avis ad volandum nata, ut Job. c. 4. ait, cavæ inclusa, nunquam erit quieta,*

quantumvis cavea artificiosè elaborata, ex vimine aureo compacta, & gemmis hinc inde exornata, in aulis & cubilibus regiis suspensa sit, quantumvis ipsi de grato & delicato cibo liberaliter, ac sedulo prospectum sit, semper irrequieta, & in assiduo motu est; nec ulla res, quæ ad volandum creata est, contenta erit, si volandi libertate privetur: nec res ulla eum, qui ad Deum & propter Deum factus est, pacare & satiare potest, si procul remotus est à Deo. Sis nobilis, sis dives, abundes deliciis & voluptatibus: gaudeas Ecclesiasticis beneficiis, dignitatibus, proventibus, infulis ac pedis, pluribus quàm desiderare possis: si etiam Romana ornareris purpurâ, si pontificia coronareris tiarâ, & Petri solium conscenderes, tamen tam longè aberis à vera quiete & pace animi, quàm longè aberis à Deo. Cordis tui tam vasta est capacitas, ut satiari non possit ab alio, quàm à Deo, qui est bonum infinitum & immensum: ad Deum ergo erige & dirige omnes tuos affectus, respice illum ut tuum finem: reliqua omnia considera tanquam mera media ad consequendum finem ordinata, nisi pudendam velis committere temeritatem, & totum divinæ providentiæ ordinem, quo te ad salutem, & æternam quietem perducere decrevit, evertere.

2. Nunquam amoris aliquid concedes rebus

rebus de se indifferentibus, & dubiis, an ad consequendum tuum finem ultimum, ad quem creatures, profint, vel obsint. Ignoras, an ad salutis consecutionem sanitas potius, quàm infirmitas; an divitiæ potius, quàm paupertas; an prosperitas potius, quàm adversitas profutura sit: salutem æquè consequi potest sanus ac ægrotus, pauper ac dives, infortunatus & contemptus, quàm fortunatus, & honoratus: æqualiter ergo te oportet esse affectum tam ad unum, quàm ad alterum hujus generis statum; quinimò Deum enixè rogare convenit, ut te ad illud vivendi genus dirigat, in quo ex infinita sua scientia prævidet, te salutem consecuturum: protestare coram Deo sincerè, te nec sanitatem, nec divitias, nec prosperitatem desiderare, si tibi forent impedimento obtinendæ æternæ salutis: pete ut te affligat morbis, paupertate, adversitatibus, siquidem prævideat, has tibi fore gradus ac scalam ad cælum, & felicitatem æternam indipiscendam. Viator viæ, quæ ducat in patriam, ignarus ad bivium delatus hæret suspensus, nec ad dextram potius, quàm ad sinistram partem inclinat, licèt longè amœnior & lenior videatur dextera, sinistra verò ardua & salebrosa; quinimò sinceras agit gratias illi, qui veram sibi viam ad patriam monstrat, etiã si sinistram difficilem sentibus obsitam indicaret. Quid tibi prodesse honores,

C 5

divi-

divitiarum, deliciarum, si interea aberrares à via salutis? non tamen ideo vetitum est, modis licitis sibi procurare bona temporalia, non prohibentur actiones de se indifferentes, quales sunt se litterarum studiis impendere, somnum, cibos capere, mentem curis & laboribus fessam divertere, recreare, ex quibus plurimae necessariae sunt pro conservatione humanae conditionis: sed tibi incumbit, ut has actiones per meliorem mentis intentionem ad sublimiorem gradum, ad meritum evehas juxta Pauli monitum 1. Cor. c. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quam magnum meritorum cumulum non congregasses, si toto, quo vivis tempore hoc Pauli monitum secutus fuisses: poteras vile lutum ope hujus pietatis Alchimiæ mutare in aurum obrizum; & tanto thesauro nemo alius te privavit, quam supina tua negligentia, vel ignorantia.

3. Toto conatu, viribus & nervis omnibus tibi contendendum est ad consecutionem finis tui ultimi, quidquid boni est, amplectendò & quidquid mali est, repudiandò, omnibus laqueis, ac vinculis disruptis, quae te à cursu impedire, & à via salutis abstrahere possent, quantumcunque alias tibi grata, & ipsis oculis chariora forent: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Matth. c. 5. Reseca tot affectus inordinatos, conculca tot respe-

respectus humanos, extrica te tot inutilibus negotiis, prima & præcipua tua cura sit, quærere & curare salutem animæ. Tu, vir Ecclesiastice, sæpius hoc ipsum inculcâris aliis, cur hoc salubre consilium non tibi met suggeris! Ergone semper similis esse voles ligneis, vel marmoreis illis stellis ac Mercuriis in bivio erectis, qui viatoribus regias & rectas vias demonstrant, ipsimet verò has nunquam ingrediuntur, nec loco moventur? Ergone tam amens eris, ut aliis viam ad astra pandas, januam aperias, & ipsemet non ingrediaris. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Cant. i. Ne committas solennem hanc dementiam, ut momentaneo temporis frustillo maximam curam & sollicitudinem, æternitati verò vel nullam, vel minimam & ultimò locò impendas: *Caveamus, ne perversione iniquâ impendamus brevi tempore curam maximam, & maximo tempore curam brevem,* sunt ipsissima verba S. Eucherii. Pro coronide huic meditationi subjunge sequentem orationem, quam Ecclesia subministrat. *Protector in te sperantium, Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce sic pertranseamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Christum Dominum nostrum Amen.*

Dies